

Alte Drucke

**DISPVTATIO DE || medendi indicationibus. || Dei Optimi
Maximi aspirante gratia. || PRAESIDE CLA=|| RISSIMO
VIRO, D. IACOBO SCHEG-||KIO, PHILOSOPHIAE, ...**

Schegk, Jakob

Tubingae, 1569

VD16 ZV 30582

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150129

2.

DISPUTATIO DE
medendi indicationibus.

Dei Optimi Maximi aspirante gratia.

PRÆSIDE CLA-
RISSIMO VIRO, D. IACOBO SCHEG-
KIO, PHILOSOPHIAE, ET ARTIS
Medicæ Doctore eximio, atq; in inclita hac Acade-
mia Tubingensi Professore ordinario, Domino & Præ-
ceptore suo omni obseruantia colendo: IOANNES
ERBERVS Chamenfis, subscriptas cum quæ-
stione propositiones publicè, pro ingenij
viribus, defendere cona-
bitur,

*In Aulanoua, Calendis Iulij, hora anteme-
ridiana sexta.*



TUBINGÆ ANNO
M. D. LXIX.

Quæstio.



V V *Omniis medendi ratio ac methodus, autore Galeno, per ὁρίεσθαι fiat: & ab indicationibus, quibus curatio nititur, atq; in discursu apud ægrotum ceu Thesei filo vitur, sumat initium: quæstio non indignum videtur, quæ nam curatrices illæ indicationes sint, & ex quo fonte hauriendæ ac petendæ?*

Propositio prima.

ὁρίεσθαι, ut à definitione exordiamur, est, quemadmodum Galenus in libro de optima secta docet, comprehensio seu κατὰ ληψιν eius, quod prodest, coincidens simul comprehensioni nocentis affectus, absq; observatione & ratiocinatione. Vel brevius, eiusdem testimonio, Sequentis, siue agendi est insinuatio.

2.

Vocabulum verò ὁρίεσθαι ex eorum est genere, quæ secundum prius & posterius (ut sunt πρὸς ὃ significancia) usurpantur. Siquidem aliæ indicationum per se, ac suapte natura primò monstrant præsidia, ut affectus præter naturam, & eius causæ: aliæ secundariò & ex accidenti, quatenus nimirum cum morbo sunt coniunctæ, & sine illis rectè vti remedijs non possumus, ut sunt quæ in complexu ὑποκειµένου, & ambientis nos aëris confluunt, atq; indicationes propriè dictas, hoc est, quæ morbi naturam sequuntur, quodammodo definiunt, et circumscribunt, Græcis συνδυασµὸν vocantur: aliæ deniq; contrariam habent indicationem, prohibentes id fieri, quod ab indicatè primò suggeritur, Græci nominant ἀντισυνδυασµόν. Talis est indicatio, quæ sumitur à virtute, habente ἀντισυνδυασµόν, respectu eorum, quæ adhibentur curandis & tollendis morbis.

A 2

3. Præ-

3.
Præterea indicationum quedam sunt simplices: quedam compositæ. Simplex indicatio vnum semper indicat, idq; simplex: Composita vero compositum.

4.
Ceterum ad tria præcipue momenta: morbum, corpus affectum, & virtutem, seu facultates regentes corpus, omnes curationis indicationes reuocari posse, illaq; tria ostendere quid agendum, quantum, quo modo, tempore, & loco (in quas condiciones veluti scopos maxime necessarios, omnibus medicinam facientibus perpetuo fixis oculis intueendum) censemus.

5.
Ex natura autem rei, quæ vel præter naturam est, vel secundum naturam, primam nasci indicationem non ambigimus. Præter naturam res sunt tres: Causa, morbus, & symptoma. Secundum naturam duæ præcipue existunt: temperamentum τὰν φυσικόν, quàm ἐν ἰσότητι, & virtus, cui cum morbo certamen est. Atq; hæ duæ res sui per similia custodiam, vt priores tres per contraria sui ablationem indicant: causa quidem τῇ προνοίᾳ ἢ προφύλαξει, morbus & concomitantes symptoma (nisi ratione causæ symptoma Medico provisionem subiiciat) τῇ ἰατρικῇ subesse consuevit.

6.
Porro morbus qualis sit, & quæ eius existat natura, ex quinque potissimum: ex essentia nimirum, moru, more, termino, & tempore morbi elucet atq; liquet.

7.
Essentia morbi ex causis cognoscitur intrinsicis & extrinsecis. Intrinsicæ sunt forma & quasi materia, quarum utraq; respectu curationis, distinguitur per suas ιδιότητες.

8.
Formam monstrant genus & differentia morbi, cuius cum tria in vniuersum prima sint genera, spectandum est, num sit partium

ὁμοίων

ἡμετέροις δυοῖν ὁμοιοῖται : vel δυοῖν ὁμοιοῖται siue ὁμοιοῖται prava
compositio : vel continui solutio : quorum singula suas etiam effi-
ciunt indicationes distinctas , peculiare , & proprias , quas certa
curandi ratio sequitur.

9.

δυοῖν ὁμοιοῖται namq; siue simplex , siue composita , nuda seu absq;
affluxu materie , contraria qualitatis modis atq; rebus pro ratio-
ne curanda venit , seruata proportionem recessus & gradus utrinq;
Tam autem in hoc , quam reliquis omnibus morborum generibus
(respectu affectuum) contraria indicationes dicuntur esse.

10.

Verum sicuti morbus , in δυοῖν ὁμοιοῖται solummodo consistens , ἀλλὰ
λοιῶται se pellendum esse insinuat : ita ubi fouentem habet mate-
riam & causam , duplicem ex se præbet indicationem : unam re-
suscitantem morbum : alteram causam . Prius autem causa rescin-
denda est , postea ipse morbus ab ea factus .

11.

Quia verò prolixior interdum series & continuatio quadam
causarum est , in qua alia ex alia nascitur , suo quamq; ordine
demendam statuimus , faciendumq; ab ea curationis initium , quæ
γενέσις prima , inuestigatione verò seu analysi postrema fuerit in-
uenta , nempe subsequente practica operatione , λογισμὸν , à fine
resoluentem , contrario ordine , quo nimirum ἀναλύσις & σύνθεσις
inter se differunt , ut quæ ἀναλύσις sunt posteriora , ea sint practica
compositione priora . Et προγενέσις quidem causis , si adhuc
adsunt , remotio , vel correctio debetur , προγενέσις præseruatio ,
& propinquis seu coniunctis curatio , quemadmodum & ipsis af-
fectibus .

12.

Consideranda itaq; causa morbi tripliciter . Omnis enim materia
vel iam nunc fluit , vel modo fluxura est : vel partim fluxit , partim
fluit : vel iam dudum fluxa quieuit . Si fluat , aut fluxura sit , in-

A 3

tercipienda

recipienda est, & ad partes loco, ad quem defluit, oppositas, auer-
tenda, indeq; euacuanda. Sin conquieuerit, aut per ipsum locum
affectum educenda, aut saltem ad proximas partes deriuanda est.
Sin partim fluxit, partim adhuc fluit, & ad locum oppositum tra-
henda, auertendaq;, & à loco affecto euacuanda, idq; vel sensibili-
ter, hoc est, vel sectione, vel scarificatione: vel insensibiliter, id
est, dia-phoresi seu resolutione.

13.

Hinc & alia quaedam prodeunt suas etiam habentia videri, videlicet membrum mandans, quod valide expellit: membrum excipiens, quod imbecilliter resistit: materia copia, cruditas, lentor, crassities, tenuitas, acrimonia, salsedo: & praeterea vasorum latitudo: quorum prima indicatio est, ut vis mandantis membri refrenetur. Secunda ut membrum recipiens corroboretur, ne denuo in ipsam fluxio se referat. Tertia, ut materia multa quidem euacuatione subtrahatur, cruda verò (nisi furiosa sit, vel ante tempus coctionis virtutem oppressura videatur) prius concoquatur: viscida cum abstergentibus & incidentibus praeparetur: crassa attenuetur: nimium tenuis subtilisq; ad moderatam substantiam redigatur: acris aut salsa obrundatur. Quarta, ut vasorum laxitas emendetur dilatatione constricta.

14.

Res altera, quae ad naturae morbi cognitionem consequendam attinet, & cum ad victus rationem rite praescribendam, tum ad pharmaca commodè exhibenda conducit, ab aegritudinis sumitur motu, quem dupliciter accipimus: primò pro ipsa alteratione, quae in corpore affecto tanquam passio imprimitur: secundò pro inuasionem seu incremento, quod fit certis & statis diebus.

15.

Primae significationis motus gemina rursus est consideratio ac intentio. Vel enim alteratio ista seu impressio tarde progreditur, & ita rationis victus & medicinae processum lentum suadet: vel velociter mouendo breues dat inducias.

16. Hinc

16.

Hinc quia tarditas à pluribus etiam causis provenire potest, necessario & illa spectanda veniunt. Nam si extiterit à debilitate virtutis concoctricis, virtus ipsa corroboranda, & non properè ad medicamenta accedendum: sin fuerit ab angustiis viarum, prius illa quàm ad pharmaca deueniatur, aperienda & disponenda: si à crassitie & cruditate materiæ profluxerit, nullo modo ante præparationem & concoctionem illa educenda. Quòd si tarditas motus à tribus istis causis simul, vel à duabus dependeat, eo magis erit cunctandum.

17.

Similiter & contrariæ velocis motus causa notanda. Quæcumq; enim illarum fuerit, indicio erit, celerem medicinam faciendam esse, priusquàm corporis robur dissoluatur: aut materia præcipitetur ad viscus aliquod nobile & principale, conciliatura ibi phlegmonem, ac nonnunquam ægro mortem. Proinde ex modo vtriusq; motionis sumitur indicatio administrandæ dietæ in morbis acutis.

18.

In altera motus significatione, cum nimirum pro exacerbatione, certis & statis diebus inuadente, capitur, videndum, quo inuadat die, pari ne vel impari. Siquidem indicatio inde elicitur, docens semper in minoris exacerbationis die medicandum esse.

19.

Morem morbi tertio loco spectare oportet, & animaduertere, num κακότης vel ευήτης sit morbus, id quod accidentia potissimum declarant, quæ duplici genere, excrementorum videlicet differencijs, & symptomatum comprehendimus: sub illis quidem cruda, cocta, praua: sub his verò mitia, seu lethalia intelligentes, atque ex omnibus istis de morbi more coniecturam facientes.

4. Quartò,

Quarè, nosse certis signis oportet, quorsum terminaturus sit morbus, quoniam hoc plurimum cum ad πρὸς ὑγίαν, tum ad ὑπό πείαν prodesse nullum est dubium. A varietate enim terminorum variae petuntur indicationes. Nam aliter curamus phlegmonem, quam resolui posse spes est: aliter eam, quæ ad suppurationem tendit: aliter etiam quæ vel in scirrhum, vel in membri vitæ ὑποψία desitura est.

Colligi autem instantem nobis terminationem posse ex evidenti declinatione morbi: ex crisi aliqua facta: ex symptomatum manifesta remissione: ex manifestis coctionis indicijs, cum correctione pulsus coniunctis: ex functionum & virtutum naturalium, vitalium & animalium emendatione in melius, statuimus, atq; ut hisce permutationibus bonum portendi: ita contrarijs malum dicimus.

Deniq; duplicia morbi tempora generalia & particularia quinò aduertenda. Et quod attinet ad particularia, neq; in principio paroxysmi, neq; in augmento, neq; in vigore vel alimentum, vel πρὸς ὑγίαν exhibendum, sed solummodò in declinatione cum Hippocrate sentimus.

Excipimus tamen casum deficientium virium ob symptoma aliquod: & corpora temperamento calido & sicco, habituq; gracili, quorum febris ex retentione mordentis halitus, & non à putrescente provenit humore. His sanè & cum inuasura adhuc est, & cum incipit accessio, propter debiles vires, cibum offerendum esse cum Galeno asserimus.

Vniuersalia verò tempora dietæ administrande regula sunt, & quo genere dietæ nobis utendum sit, indicant, autore Hippocrate de ratione victus, & Galeno de crisis.

Ceterum natura affecti corporis, in cuius, tanquam subiecti, contemplatione alteram versari indicationem diximus, bifariam consideratur: Primò secundum totum, ratione nimirum ætatis, habitudinis corporis, ætatis, consuetudinis, studiorum vitæ, status cæli, sexus, & proprietatum indiuidualium. Deinde consideratur etiam secundum partem aliquam certam ratione substantiæ ipsius, temperaturæ, dignitatis, sensibilitatis, situs & formationis seu communitalis.

Duplici verò existente temperamento, insito scilicet & aduentitio, potius vim habere ad iudicandum, & monendum de faciendis in curatione hoc putamus, quod fuerit dum egrotare cœpit, quàm quod antea extiterit. Verùm in cognoscendo egrotantis à proprio temperamento recessu gemina datur consideratio: Primò nempe generatim scire oportet, versus quam qualitatem corpus alteratum sit. Secundo nosse refert quantitatem illius declinationis. Nam corpus, quod multum à naturali recessit, & præcipue, validis, intensisque conerarijs indiget: quod non ita multum, imbecillis remissioribusq. Et autore Hippocrate 2. aph. 34. In morbis minus periclitantur, quicunque cognato naturæ suæ morbo laborant. Præterea in euacuationibus quoque temperamenti ratio habenda. Siquidem corpora calida & sicca copiosam haud ferunt euacuationem, cum pauca ex extenuatis detrahi possint: humida verò & frigida vberiore tolerant, cum multis humiditatibus abundent, neq. perinde ut sicca ab excedente caliditate & siccitate medicamenti purgantis ledantur.

Corporis habitudo monet robustis valentiora, imbecillis minoriora adhibenda medicamenta: & densos firmosq. ac solidos habentes musculos facilius famem & victum tenuem (quod non facile resoluantur) tolerare, ac fortiora vacuandi præsidia (modò tempestiuè exhibeantur) minus respuere, citiusq. perferre, quàm

B molli

molli & rara præditos textura. Habitui corporis annumeramus
venarum capacitatem, per quas id, quod pharmacum deijcit, fer-
ri debeat. Quibus namq; amplæ venæ sunt, eorum tolerabilior est
euacuatio, quàm quibus angustæ.

28.

Deinde cùm secundum ætatem differentiam humores & de-
crescant & mutantur, ab ætate etiam non leues depromi indica-
tiones attestamur. Aliter enim infans, aliter adolescens, alio
modo senex curatur. Pueri & senes, quòd bi ætatis decursu, calo-
risq; nativi refrigeratione defectas effectasq; vires, illi διαφο-
ρὰ habeant σφύρται, nec integras euacuaciones, nec validas,
circa noxam, sustinent.

29.

Sed nec in postremis numeranda est consuetudo, quæ cùm sit,
Galeno teste, επιξήσις & φύσις, singulorumq; corporum ostendat
naturam, & in conuenienti victus forma præscribenda, & reme-
diorum inuentione valet plurimum. Ab ea verò similium indi-
catio sumitur. Consuetæ etenim & familiaria, etiamsi deteriora
sint, minus molestant. Vnde etiam reperiuntur, qui ex consuetu-
dine quibusvis euacuationibus intrepide, & sine offensione vtun-
tur. Alij, minus eas antea experti, non absq; metu, & plerunq;
cum animi deliquio, tentant. Proinde vi sæpenumero aliquid dan-
dum consuetudini: ita secundum rationem, quæ moderatrix est
rerum omnium, id fieri debere putamus, eamq;, tametsi praua sit,
non tamen nisi per summam sanitatem, & cùm à negotijs maxi-
mè vacat, mutandam.

30.

Non negligendam porrò iudicamus considerationem τῆς ἐπιτήδε-
ως, & conditionis vitæ. Siquidem alia præscribenda re-
media nobilibus & ociosis: alia agrestibus & nautis: nec parau-
da pauperibus, quoad eius fieri potest, sumptuosa: nec diuitibus
& delicatulis vilia & fœtida.

31. Et

Et quoniam status cœli magnam propter solem : propter regiones, & montium situs : propter maria, aquas, & terras : propter habitationes, admittat varietatem, non dubitamus, quin ipsius quoq; ratio habita multum ad medicamentorum & diætæ commodationem conferat. Nam aër, si temperiem habet morbo similem, causa est insalubris, ideoq; calidus existens, morbo ita postulante, frigidis, & contra frigidus calidis demulcendus.

Oportet etiam, si quid aliud, Medicum expendere sexus discrimen. Multa quippe mulieribus, propter hystericos, & alios illis peculiares morbos, administrantur, quæ in viris, vix ab eiusmodi affectibus immunibus, usum habent nullum. Deinde sexus scæmineus longè est mollior, fluidior & imbecillior virili. Merito igitur generosa medicamenta perinde atq; mares tolerare nequeunt. Insuper aliam curæ rationem efflagitant pregnantēs : aliam vterum non ferentes : aliam cœlibes : aliam matres lacq; infantibus præbentes.

Deniq; & proprietates indiuiduales aduertendæ. Nonnullos etenim reperire est, qui in maxima incidant symptomata ex quantumvis parua Medicinæ scammoniata quantitate. Talis ille fuit, cuius Galenus in 12. Therap. methodi meminit, qui ex scammonij potu in dolorem colicum incidit difficilimum. Alios videmus statim, ut assumpserunt casia florem : aut enema admiserunt simplex, in graues conijci syncopas. Itaq; ab eiusmodi proprietatibus sumendæ indicationes modorum operandi, cum Medici non solummodo sit curare : sed & curò curare.

In consideratione autem naturæ ægri corporis secundum partem seu locum laborantem, primum disquirendum, cuius substantiæ pars affecta sit, laxa ne an solida. Quæ namq; molliore laxior

reque natura sunt, mitioribus praesidijs, quam quae contrario se moda habent, sanantur.

35.

Deinde temperaturae partis indicationem necessariam Medicis dicimus, ut imbecillitas membrorum agnoscere queat, & decidere quantum à xpolet sua in qualitate aliqua excessum fecerint. Siquidem inde pro excessus ratione, subiectum comitantur, & inuadunt grauissimi morbi, & atrocia symptomata: ut est inflammatio, resolutio virium, solutio continui, extinctio caloris naturalis, increscente putredine. Idcirco cum membrum natura frigidum viderit inflammatum, magnum coniiciet excessum, adeoque sciet quousque alterandum sit. Adjiciet etiam semper aliquid, quod pro partium laborantium temperamentis facere possit.

36.

Diligenti insuper, in deliberatione medica, dignitatis & nobilitatis functionum examinatione est opus. Nam quae habent facultates principes, munusque exercent publicum in animali, corroborantibus non partium indigent: ad quam rem praecipue conferunt odorata & astringentia, quorum illa ad vitales spiritus fouendos recreandosque, haec ad continendum & roborandum, adeoque concoquendum conducunt.

37.

Tum multorum quoque admonet Medicum sensibilitas membrorum. Quippe quae exquisiti sensus sunt, valentiorum & acrium medicamentorum contactum, ob sentiendi praestantiam, non sustinent: quae vero obtusi & hebetioris sunt sensus, haec, si affectus ita suadet, tum grauiora, tum mordentia recipiunt. Pro sensibilitate igitur partium affectarum remedia intendenda, remittenda vel mutanda esse arbitramur.

38.

Nec non & sicum ac possum alicuius membri inspiciendum censemus. Vbi enim morbus membrum, quod in imo residet, occupat,

pat, deligenda ea, quæ tenuium sunt partium: aut admiscendum aliquid, quod crassiusculas medicamenti partes in profunda corporis deducere valeat: & ne idipsum iustas eundo vires amittat, tantum, ne materia deficiat, ex auctario addendum, quantum in itinere discessurum conijcimus.

39.

Deniq, indicatio etiam sumitur à formatione, & consortio, vel affinitate partium, quam colligantiam vocant, verbi gratia, si epas eget euacuatione, tunc gibba eius pars propter societatem cum vena cava descendente, per vrinarios meatus: si ma ob contractilitatis epatis cum ventre communitatem, mediantibus venis meseraicis, per aluum ritè expurgatur.

40.

Ceterum momentum seu caput tertium inter ea, quæ indicant, diximus esse virtutem, quæ licet neq, sui indicet conseruationem, vt quod τῆς πρὸς φυλάξιν ἐστὶν ἐστὶν proprium: neq, sui ἀνὰ ἑαυτὴν, quod vt ridiculum esset, ita ad διασώζειν propriè non pertinet: tamen indicat per accidens, nempe non vt conseruetur, nec perimatur, verùm vt remedijs prostigando morbo ipsa non succumbat, sed sufficiat concoquendæ causæ morbificæ.

41.

Autore itaq, Hippocrate in euacuationibus præcipiendis, non solum humor respiciendus superabundans, sed & eius qui vacuatus est, æstimandæ vires: nec vltèrius, quàm vt ille patiantur, progrediendum: cumq, iam dissolui apparent, etiamsi resistent superuacua, protinus supersedendum, dum recreentur. Maxima namq, virtutis dignitas est, & indicatio, quæ ab ea sumitur, omnium ferè prima & κρυψώτατη, non quòd curationem doceat: sed quòd morbo ceu aduersatrix sit opposita, & Viuere ipsum, ex eius custodia constet.

42.

Positum autem est virium robur in commoderata qualitate

B 3 &

& quantitate spirituum, & substantiæ solidæ. Vires enim, vt au-
tor est Galenus, integræ sunt, ac rectè valent, quando spiritus
& partēs solidæ probe contemperantur. Collabuntur verò, vbi vel
alterantur & corrumpuntur, vel deficiunt ac pereunt. Horum
igitur ne vlla in parte insignem æger iacturam faciat, prouiden-
dum, & danda opera, vt id, quod à corpore exolutum est, conue-
nienti cuiq; nutritione reponatur tempestivè.

43.

Imbecillitatis etiam momentum ex facultatum læsione pensi-
tandum, ac videndum, læsio in ipsis ne facultatum principijs & se-
dibus, an secundis instrumentis consistat. Non etenim in spiritibus
ac sanguine tantum, vt facultates, earumq; functiones serues, re-
paresq; est situm: verum in membrorum quoq; principum, vbi
illa sedes habet, vnde fluunt, æqualitate, quæ propterea perpetuò
conseruanda, & in omni medicatione sic custodienda est, vt quan-
tum fieri possit, naturaliter se habeat.

44.

Deniq; aduertendum Medico an vires eò langueant, quòd sint
dissolutæ, an verò oppressæ. Siquidem hæ euacuationem minimè
prohibent: ob resolutionem autem prostratæ, quamuis affectus po-
stulet expurgationem, non tamen nisi talem, quæ per epixorion
humores contemperet, admittunt. Perpetuò igitur quantum vi-
res possint ferre expendendum esse, & pro virtutis viriumq; pe-
nes quas maximum æquilibrium est, ratione, moderandum tum cibum,
tum medicamentum affirmamus.

45.

Ad complicatas porrò indicationes quod attinet, spectare in
illis primò oportet: contrariæ ne sibi inuicem sint, an secus. In in-
dicationibus namq; compositis, quæ tamen inter se ex aduerso non
pugnant, Galeno lib. 7. ther. methodi cap. 7. teste, ab eo semper,
ex quo primum maximeq; egrotanti imminet periculum, quodq;
magis accelerat & vrget, sumendum initium. Vbi verò nihil
vrget.

urgere, ordo à causis petendus est, quibus persistentibus nullius affectus perfecta contingit sanatio. At si ille non, nisi prius alio sublato, amoveri queant: cum sanè ad id, quod ordo dicat, respiciendū.

46.

Ambiguitate autem indicationum & pugna simul inter se oriente, magnoperè opus est, cum numerum indicationum, cum earum magnitudinem simul comparare. Vbi etenim viribus & numero æquales sunt, eiusdemq; momenti, omnibus pari providentiæ succurrendum est, & tum quidem medicamenta oportet esse composita. At inæquales imparesq; si extiterint, perpetuò ea eligenda sunt indicationes, quarum ἀξίωμα καὶ μέγεθος præponderant, & suas ἀντιρροήσεις superant, atq; quodammodo obumbrant: ita tamen, ut dum uni alicui nimium sumus intenti, alterius non omnino obliuiscamur.

47.

Esse itaq; non scientiæ tantum, sed & sensuum per experientiam eruditorum, atq; exercitatorum solertiæ, ut in eiusmodi rebus quid faciendum, aut non sit, dyjudicet Medicus, & cuiusq; indicationis potestate diligenter considerata, omnibusq; inter se collatis, commodam in morbis victus rationem & medelam instituat, concludimus.